



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Iohanni Qvondam Archiepiscopo Lugdunensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

per ipsum & nuntios tuos de omnibus red-
diti fuerimus certiores, consultius & matu-
rius prout procedendum fuerit proceda-
mus.

IOHANNI QVONDAM
Archiepiscopo Lugdunensi.

CVM Martha circa plurima satagentis
officia in cura regiminis pastoralis
pro maiori parte renuntians, in domo Do-
mini quasi abjectus eligens habitare cum il-
lis qui partem optimam elegerunt, sedentes
ad pedes Domini cum Maria, ut in ejus
lege jugiter meditentur, lippitudini Liæ
Rachelis pulchritudinem præferentes, eam
in te credimus vigere intelligentiam
scripturarum ut non solum parvulis fran-
gere possis panem, sed provectis etiam ci-
bum solidum ministrare ac nodos solvere
difficilium quæstionum. Verum quoniam
in primatu Apostolorum principis aposto-
licæ sedis magisterium recognoscens, ad
eam credis majores causas Ecclesiæ refe-
rendas, consultationibus tuis, quas non
ob commodum utilitatis terrenæ, cum non
civilem contineant quæstionem, sed ani-
marum profectum, ut videlicet in lucem
prodeant obscura scripturæ, novimus te
movisse, libenter quod nobis inspirat Do-
minus respondemus. Quæstisti siquidem
quæ sit forma verborum quam ipse Chri-
stus expressit, cum in corpus & sangui-
nem suum panem transubstantiavit & vi-
num, cum illud in canone Missæ, quo
Ecclesia utitur generalis, adjecerit quod
nullus Evangelistarum legitur expressisse.
Cum enim in evangelio sic legatur, *Acci-
piens calicem, gratias agens benedixit, & de-
dit discipulis suis, dicens, Bibite ex hoc omnes,
hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui
pro vobis & pro multis effundetur in remissionem
peccatorum*, in canone Missæ sermo
iste, videlicet *mysterium fidei*, verbis ipsis
interpositis invenitur. Vnde cum non
Evangelista Christum hoc dixisse testetur,
moveris non modicum & miraris quod
aliquis asseverare tentaverit eum aliquid
plus dixisse quam Evangelistarum ali-
quis asseveret. Verum si formam ipsius
canonis inspicias diligenter, præter hoc
de quo tua fraternitas requisivit, alia duo,
videlicet, *elevatis oculis in cælum, & æteri-
ni testamenti*, poteris in ipso canone repe-
rire, quæ in textu evangelico non legun-
tur. Sanè multa tam de verbis quam factis
dominici invenimus ab Evangelistis om-
missa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo
vel facto expressisse leguntur. Paulus enim

in actibus Apostolorum sic ait: *Meminisse
vos oportet verbi Domini Iesu, quod ipse dixit:
Beatius est magis dare quam accipere. Hoc
nullus quatuor Evangelistarum descripsit.
Nullus etiam eorundem expressit quod
Paulus de Christo ad Corinthios scribens
ait: Visus est plusquam quingentis fratribus
simul, deinde visus est & Iacobo, novissimè
autem, tamquam abortivo, visus est & mihi.*
Ipsi etiam Evangelistæ inter se mutuò sup-
plevisse leguntur quæ ab eorum aliquo
vel aliquibus sunt ommissa. Vnde cum tres
Evangelistæ posuerint, *Hoc est Corpus
meum*, solus Lucas adjecit: *quod pro vobis
tradetur*. Et cum Matthæus & Marcus
dicant, *pro multis*, Lucas dicit: *Pro vobis*.
Matthæus autem in remissionem peccatorum
adjungit. Ceterum ea quæ adduntur in
canone Missæ, possunt ex aliis locis evan-
gelij comprobari. Iohannes enim suscita-
tionem Lazari descripturus, Iesum sursum
oculos elevasse asserit & dixisse: *Pater,
gratias ago tibi quoniam audisti me*. Alibi
etiam idem dicit: *Hæc locutus est Iesus, &
sublevatis oculis in cælum dixit: Pater, clari-
fica filium tuum*. Si tunc igitur oculos in cæ-
lum levavit ad patrem cum ad corpus
exanime animam Lazari revocabat, proba-
bilius esse videtur quod tunc oculos le-
vaverit ad patrem in cælum cum panem
& vinum in corpus & sanguinem proprium
commutavit. Ceterum, sicut superius est
expressum, cum in textu evangelico *novi
testamenti* ponatur, hic interponitur &
æterni. Nam vetus testamentum, quod
hircorum & vitulorum fuit sanguine dedi-
catum, temporalia promittebat; novum
autem, quod est Christi sanguine conse-
cratum, promittit æterna. Et ideo testa-
mentum illud fuit vetus & transitorium,
hoc autem novum est & æternum; vel ut
utamur alia ratione, unde novum id est
ultimum esse describitur, æternum inde
id est perpetuum comprobatur. Novissi-
mum etenim hominis testamentum immo-
bile perseverat, quia testatoris obitu con-
firmatur, juxta quod Apostolus testa-
mentum in morte asserit confirmatum, alio-
quin non valere dum vixerit qui testatur.
Præterea non solum scriptura, sed & pro-
missio dicitur testamentum, juxta quod
Apostolus ipse scribit: *Ideo novi testamen-
ti mediator est ut repromissionem accipiant qui
vocati sunt hereditatis æternæ*. Sic ergo in-
telligi debet quod in ipso canone reperit-
ur: *Hic est enim sanguis meus novi & æteri-
ni testamenti*, novæ & æternæ promissionis
scilicet confirmator sicut Dominus re-

Epist. 121.
Respondet ad
ejus consulta.
Cap. Cùm
Matthæ. de ce-
lebr. miss.

promittit, *Qui manducat, inquit, carnem meam & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam.* Ex eo autem verbo de quo movit tua fraternitas quæstionem, videlicet *mysterium fidei*, munimentum erroris quidam trahere putaverunt dicentes in sacramento altaris non esse corporis Christi & sanguinis veritatem, sed imaginem tantum & speciem & figuram, pro eo quod scriptura interdum commemoret id quod in altari suscipitur esse sacramentum & mysterium & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt quod nec auctoritatem scripturæ convenienter intelligunt, nec sacramenta Dei suscipiunt reverenter, scripturas & virtutem Dei pariter nescientes. Si enim ideo quia figura est sacramentum altaris, veritas esse negatur, ergo nec mors nec resurrectio Christi, cum figura sit, veritas est credenda, siquidem mortem & resurrectionem Christi similitudinem & imaginem esse Apostolus manifestat, *Christus*, inquit, *mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter justificationem nostram.* Apostolorum etiam princeps Petrus sic in epistola sua scribit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Sic ergo tam mors Christi quam ejus resurrectio est exemplum, ut & nos peccato mortui, justitia jam vivamus. Quare si non fuit veritas, quia fuit exemplum, ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium cordibus error iste, cum ipse Propheta de Christo testetur quod verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit. Dicitur tamen *mysterium fidei*, quoniam & aliud ibi creditur quam cernatur, & aliud cernitur quam creditur. Cernitur enim species panis & vini, & creditur veritas carnis & sanguinis, ac virtus unitatis & caritatis. Quod autem *mysterium fidei* dicitur in hoc loco, alibi secundum Iohannem spiritus & vita narretur. Nam spiritus est *mysterium*, juxta illud: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Fides autem est vita, secundum quod legitur: *Iustus meus ex fide vivit.* Propter quod ipse Dominus dicit: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt.* Distinguendum est tamen subtiliter inter tria quæ sunt in hoc sacramento discreta, videlicet forma visibilis, veritas corporis, & virtus spiritualis; forma panis & vini, veritas carnis & sanguinis, virtus unitatis & caritatis. Primum est sacramentum, & non res; secundum est sacramentum & res; tertium res, & non sacramen-

tum. Sed primum est sacramentum geminæ rei, tertium verò gemini sacramenti, secundum autem sacramentum unius & alterius res existit. Credimus igitur quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli & ab ipsis eorum acceperint successores. Nam sicut superius est expressum, multa de verbis & factis dominicis ab Evangelistis ommissa & sermonibus suppleverunt Apostoli & operibus expresserunt.

Quæstisti etiam utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua, quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur, ut in hoc sacramento plene sint veritas & figura. Alij verò tenent quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino; licet phisici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit. Quod inde conjicitur quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet undique circumfunditur, non madidans circumfusum. Ipsa tamen accidentia vinum appositum videtur afficere, quia si aqua pura fuerat apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia permutare subjectum, sicut & subjectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsis latere processisse. Illud est autem nefarium opinari quod quidam dicere præsumperunt, aquam videlicet in flegma converti. Nam & de latere Christi non aquam sed humorem aquaticum mentiuntur exisse, non attendentes quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta, & quod non baptizant in flegmate, sed in aqua, juxta quod Dominus protestatur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Verum inter opiniones prædictas illa probabilior videtur quæ asserit aquam cum vino in san-

Vide lib. 12.
epist. 7.

fanguinem transmutari ut expressius eluceat proprietates sacramenti. Nam cum aqua multae sint populi multi juxta quod alibi legitur, *Beati qui seminant super aquas*, ideo vino aqua unitur ut Christo populus adunetur. Per hoc enim quod & suscepit ipse de nostro & accipimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur ut qui est unum cum patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem, ac per hoc ipso communiter mediante cum patre unum efficimur.

Pater, inquit, *sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat quia tu me misisti.*

Tertio verò loco fraternitas tua requisivit quis mutaverit, vel quando fuerit mutatum, aut quare, quod in secreta beati Leonis secundum antiquiores codices continentur, sic videlicet, *Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui Leonis haec pro te oblatio*, cum in modernioribus sacramentariis habeatur: *Annue nobis, Domine, quae sumus, ut intercessione beati Leonis haec nobis pro te oblatio*. Super quo tibi taliter respondemus, quòd quis illud mutaverit, aut quando mutatum fuerit, ignoramus. Scimus tamen qua fuerit occasione mutatum, quia cum sacrae scripturae dicat auctoritas quòd injuriam facit martyri qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quòd cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt; sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos, cum miseri simus, undique mala multa perturbant. Vnde quod in plerisque orationibus continetur, *prosit videlicet vel proficiat huic sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam vel honorem*, ita sanè debet intelligi ut ad hoc prosit quod magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris, aut etiam honoretur: licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam usque ad iudicium augmentari, & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Vtrum tamen in hoc articulo locum habeat illa distinctio qua docetur quòd defunctorum alij sunt valde boni, alij sunt valde mali, alij mediocriter boni, & alij mediocriter mali, unde suffragia quae fiunt à fidelibus in Ecclesia pro valde bonis actiones sunt gratiarum, pro valde malis, consolationes vivorum, expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua

discretio investiget. De cetero tuis orationibus adjuvari petimus apud Deum.

I L L U S T R I
Constantinopolitano Imperatori.

Litteras & nuntios imperatoriae dignitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & tam ea quae iidem nuntij proponere voluerunt quam quae in litteris continebantur eidem intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidem nobis dicti nuntij tui & id etiam tuae litterae continebant, quòd cum Christianorum exercitus, qui venturus est in subsidium terrae sanctae, praeposuerit tuae magnitudinis terram invadere & contra Christianos arma movere, nostro conveniebat officio ut eos à tali deberemus proposito revocare, ne fortè manus suas de Christianorum nece scedantes, & Dei exinde offensam incurrent, ac inimicos Christi, debilitati non modicum, non possent aliquatenus impugnare. Ex parte insuper tuae celsitudinis adjecerunt quòd Alexio filio Isachij Angeli quondam Imperatoris, qui ad Philippum Ducem Sueviae accessit ut imperium contra te ipsius possit auxilio obtinere, favorem nullatenus praestaremus, quia imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cum illud non per successionem, sed per electionem nobilium conferatur, nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium imperatoriae dignitatis, quod utique idem Alexius non poterat allegare, cum priusquam pater ejus esset in Imperatorem promotus, natus fuerit, & quia pater ejus tunc privata erat persona, in imperio non poterat sibi jus aliquod vindicare. Id etiam ex parte tuae celsitudinis fuit propositum coram nobis, quòd cum Fridericus Imperator multum offenderit Romanam Ecclesiam, & eam odio iniquo fuerit persecutus, & filij sui patris vestigiis inhaerentes eam non modicum aggravarint, praedicto Duci Sueviae, ut regnum posset modo quolibet obtinere, non praestaremus subsidium vel favorem, ad quod efficiendum de facili debebamus induci, cum idem Philippus clericali fuerit caractere insignitus, & personae hujusmodi nec contrahere possint nec militari cingulo decorari vel dignitate aliquam in populo obtinere, cum sint excommunicationis vinculo innodati. Nos autem imperiali prudentiae taliter duximus respondendum, quod praedictus Alexius olim ad praesentiam nostram accedens, gravem in nostra & fratrum nostrorum praesentia, multis nobilium Romanorum

*Epist. 121.
De causa imperij CP.
Vide gesta Innoc. III, cap. 82.*

*Augustinus
serm. 17. de
verbis Apostoli.*